

amari sub eo statu, loquimur de ipso statu possibilitatis, ut opponitur omni esse, tam futuro, quam præsentī, et præterito; tam vero, quam ficto. Nam si aliquem ordinem induat ad esse, illique adjiciatur etiam ficte, non est dubium quod possunt amari, saltem sub illo respectu, licet Deus, quia nihil fictum amare potest, sicut nec fingere, nullo modo possit illas amare. Sed sensus illius quæstionis est, quod essentiæ rerum sub illo statu, quatenus non habet nisi præcisa prædicata essentialia, neque explicant nisi necessariam

connexionem prædicatorum ante omne esse, vel ordinem ad esse possint esse objectum voluntatis, illisque competat bonitas formaliter, quæ movere possit voluntatem. Hoc est quod negamus creaturis statu puræ possibilitatis. Si vero induant ordinem aliquem ad esse, etiam si ficte, et per intellectum, poterunt appeti sub illa ratione. Et hoc idem dicimus de impossibili, etiam si cognoscatur esse in se impossibile, dummodo fingatur sub aliqua bonitate, et respectu ad esse, etiam fictum.

QUÆSTIO XIV.

DE CONSILIO.

SUMMA LITTERÆ.

Agit D. Thomas de consilio postquam egit de electione, non obstante quod consilium electionem præcedat, ad illamque requiratur, quia prius agendum est de ipsa re, deinde de causis ejus. Consilium autem est causa electionis, quia ad hoc consulimus ut eligamus, et ex consultatione mediorum nascitur electio; ideoque agit de consilio tamquam de electionis causa.

Tria D. Thomas tractat de consilio. Primo, quid sit in primo articulo. Secundo, de qua materia sit, et circa quid versetur articulo. II, III et IV. Denique, de modo quo proceditur in consilio tractat duobus ultimis articulis.

Igitur in primo articulo ostendit D. Thomas, quod consilium formaliter, et directe pertinet ad rationem, licet præsupponat appetitum, quia materia de qua agit consilium sunt res volendæ. In ratione autem importat consilium inquisitionem circa res incertas, et dubias quæ inquisitio in nobis per discursum fit. Terminatur autem consilium in sententia, seu iudicio de eligendis per quod regulatur electio.

In articulo secundo incipit agere de materia consilii. Et ostendit in primis quod consilium non est de fine, quia finis est principium ex quo proceditur ad media: principium autem non cadit sub quæstione, et inquisitione, sed præsupponitur ad inquirendum. Per accidens autem, potest esse consilium de fine, quatenus unus finis ordinatur ad alium.

In articulo tertio ostendit, quod consilium est de his, quæ a nobis agenda sunt, id est, de actibus humanis prout nobis utiles sunt, et ad finem conducunt, sic autem in singulari considerandi sunt, et consequenter prout a nobis egrediuntur. Per ly autem a nobis, etiam intellige, qui ad nos spectant.

In articulo quarto ostendit, nec de omnibus humanis actibus esse consultationem, scilicet de his quæ quæstionem non habent, aut quia de se determinatas habent rationes, ut pleraque in artibus; aut quia parum conducunt, et pro nihilo reputantur, ut minima.

In articulo quinto et sexto tractat de modo quo procedere debet consilium, scilicet, quod resolutorie, et quod determinate, et non in infinitum. Resolutorie procedit consilium, quia procedit ab effectibus in causas, tractat enim de agendis, seu de mediis propter finem. Determinate autem, et non in infinitum procedit, quia procedit a principio quod est finis, in conclusiones, quæ sunt media: finis autem est certus, nec de illo est consilium. Medium autem determinari, et finiri oportet, alias nunquam inciperet operatio. Non tamen repugnat consilium esse infinitum in potentia, propter multa quæ occurrere possunt sine limite.